



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

20 Vtrùm qui in tempestate eiicit merces alienas, teneatur ad sarciendnm
damnum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

DUBITATIO XIX.

Verum si quis damnum intulerit in re adhuc indies crescente, teneatur integrè, perinde ac si adulta esset, rependere.

137 **D**ominicus Sotus lib. 4. q. 6. art. 5. & Michaël Salonijs q. 62. art. 4. affirmant, si ex malitia rem illam peremit, non autem si ex negligentia. vt si conculcasti segetem, nunc æstimatam 100. in messe 200. Si interemisti pullum equinum, nunc valentem 20. intra biennium 100. Ratio illorum est; quia dominus rei non tenetur eam vendere pretio, quo nunc valet, sed potest eam retinere, præstando omnes casus, eoque non æstimando.

Tenetur solùm ad rei æstimatorem.
Resp. Contrarium esse verius. Ratio est, quia restitutio damni illari non est vquam faciendâ nisi secundum æqualitatem, prout prudentes arbitrabuntur. itaque pro talibus segetibus non est amplius restituendum, quàm illæ iudicio prudentum spectatis circumstantiis tunc valebant. Idem dicendum de pullo equino & similibus.

Est maior iniuria.
Nec obstat, quòd ille eo pretio vendere noluisse; hinc enim non sequitur, damnum esse maius quàm ipsa res nunc valeat, sed iniuriam esse maiorem, quia hinc fit vt damnum sit magis contra domini voluntatem, quod ad incrementum iniuriæ pertinet, non damni: pro qua iniuria, non pecunia, sed veniæ petitio, vel quid simile præstari solet. vnde illa distinctio damni ex malitia & negligentia, sententiam Soti non inuat. etsi enim maiorem faciat iniuriam qui infert damnum ex malitia quàm qui ex negligentia, non tamen infert maius damnum; vnde neque ad maiorem tenetur restitutionem.

DUBITATIO XX.

Verum qui in tempestate eicit merces alienas, teneatur ad sarcendum damnum.

138 **R**espondeo & Dico Primo, Si is, qui eicit alienas, habet suas, tenetur illi pro sua parte ad restitutionem. Ratio est; quia cum etiam propriæ

merces cooperentur ad nauis depressionem, iniquum est, totum onus conferre in merces alterius. Imò hoc casu, omnes tenentur pro sua parte, qui ibidem merces habent; vt patet L. 2. & 4. 7. de lege Rhodia, de iactu.

Sed tenentur pro mercium suarum æstimatone, an pondere? Quid si tantum habeat gemmas vel margaritas, quæ nauem parum onerant?

Resp. Seposita lege positua, videtur tantum habenda ratio ponderis; quia pondus adfert nauis periculum, non æstimatio vel pretiositas. Lege tamen positua statutum est, vt habeatur ratio æstimatone, vt quisque pro mercium pretio conferat ad compenlandum ei, cuius merces sunt eiectione. Cuius ratio esse videtur, quia quòd merces tuæ sunt magis pretiosæ, eò plurius interest tua, vt nauis salua sit; ac proinde eò amplius te in collationem dare par est. quæ ratio habet quidè aliquid æquitatis, ob quam possit lege sanciri: si tamen lex absit, alterum videtur seruandum.

Dico Secundò, Si is, qui alienas eicit, nullas habeat, non tenetur ad vllam restitutionem. Coligitur ex L. secunda, vbi dicitur, *Liberi corporis, non oportere fieri æstimatorem*; nempe ad sarcendum damnum. Idem docet Ioannes Medina C. de restit. q. 3. causa prima, & Petrus Nauarra. lib. 3. c. 1. num. 381. Probat; quia id potest duplici iure, *vltus & defensionis*. Iure vltus, quia quando alicuius rei vltus mihi est extremè necessarius ad vitam conseruandam, possum eam rem licitè consumere; & si inde non sum factus ditior, non tenor ad restitutionem; vt si hostem fugiens infiliam in equum alienum, qui in fuga perimitur: non enim rationè acceptionis, vt quæ sit concessa; neque rei acceptæ, vt quæ non extet in se vel in sui pretio: neque contractus, cum nullus intercesserit, vti suppono. Hæc tamen ratio non habet locum, nisi in paupere; & fortè contrarium huius fundamenti est verius: vt infra cap. 16. dubit. 1. dicitur. Altera tamen ratio est solida; nempe ex iure defensionis; quia iure naturæ quiuus potest à se repellere, quidquid ei adfert interitum, vel est impedimento, ne se possit in extremo periculo saluare: atqui merces illæ adferent interitum, deprimendo nauem, cui infideo. Idem dicendum, si quis fugiens pertundat parietem, vel conculcet segetes, alter se saluare non valens, vt rectè Petrus Nauarra.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

De cooperantibus ad furtum vel damnum.

Complectitur Dubitationes XI.

NOTANDVM est, Dupliciter furtum vel damnum inferri posse. Primò, immediatè exequendo; & de hoc dictum est cap. 12. Secundò, mediatè cooperando: vt consulendo, mandando, &c. De his modis nunc agendum est: sic enim plenè intelligetur quis ad restitutionem teneatur.

DUBITATIO I.

Quot modis censeatur quis mediatè cooperari ad damnum alterius.

Respondeo, Passim à Doctoribus nouem modos numerari, qui continentur hincce versibus: *Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus, Participans, mutus, non oblians, non manifestans.*
Et